

aliæ editæ sunt, hucusque typis nondum vulgatæ (1). Differunt hæ collectiones tamen ab illa prima maximè in hoc, quod præter conciliorum canones, qui tum ex italiana, tum ex veteri Græcorum canonum versione desumpti sunt, rom. pontificum decretales contineant, qua de causa passim in usu erant. Cum tamen multis defectibus laborarent, novam collectionem Dionysius, natione scythus, Romæ compilatus aggressus est. Initio posuit quinquaginta ex apostolorum canonibus, quos ipse ex græco latine reddidit; deinde nova numerorum serie incipiens, canones nicænos, ancyranos, neocæsarienses, gangrenses, antiochenos, laodiceos et constantinopolitanos, numeris 165 distinctos, inseruit, quos omnes ex græco codice, quem unicè adhibuit, in latinam linguam versos excerpterat. His sub novis numeris XXVII, chalcedonenses canones ex alio codice adjunxit; demum ex codice latino autographo XXI canones sardicenses et acta concilii carthaginensis anni 419, quæ in 138 numeros distribuit. Hac collectione confecta tempore Symmachi (a. 498-514) aliam adornavit, quæ litteras et decreta VIII pontificum, a Siricio (a. 358) ad Anastasium II (a. 498), usque comprehendit. Pontifices in ea collectione servato temporum ordine, recensentur, atque sub unoquoque pontifice ea annotantur decreta, quæ ab ipso edita sunt, quæque Dionysius perpetua numerorum serie, ab unoquoque de novo incipiente, distinxit. Ambæ collectiones diu in hominum usu fuere; prima sæpius mutata, secunda mox post Symmachi mortem, Gregorio II pontifice, pluribus locis aucta est, qui postea juxta temporum ordinem in ipsam collectionem inserti sunt. Hæc mutationibus et appendicibus aucta Dionysii collectio eo quoque codice continebatur, quem Hadrianus I. Carolo Magno Romæ tradidit, qua de causa *hadriana* vocatur. Nulla quidem publica auctoritate illam Hadrianus donavit; sed cum ita summus pontifex collectionem ipsam probasse visus fuerit, apostolicam quamdam auctoritatem, præsertim apud Gallos, obtinuit, et passim *codex canonum* appellari cæpit. Pluries adhuc deinceps in Italia et mutata, et auctæ sunt Dionysii collectiones; donec nono circiter sæculo systematicis, quæ tunc editæ fuere, collectionibus locum cesserunt (2).

Aliam insuper Dionysius, monente Hormisda Papa, collectionem confecit, quæ græcos tantummodo canones græcè et latinè exhibebat; temporum verò injuria periit (3).

Serius Theodosius diaconus novam collectionem adornavit, quæ conciliorum præsertim canones, tum ex vetere hispanica, tum ex dionysiana, tum ex alia antiquissima versione desumptos, complectebatur (4).

XVI. Tempore, quo Romanorum imperium in Occidente desierat, Jus civile tum jurisconsultorum scriptis, de quorum usu in foro quædam regulæ receptæ erant, tum imperatorum edictis in codice theodosiano, eorumque rescriptis in duobus aliis codicibus collectis continebatur. Nihil in hoc rerum statu Germanorum invasione mutatum est, cum non solum illorum, qui origine Romani essent, sed generatim

(1) Describuntur hæ collectiones juxta codices manuscriptos in opere Ballerin. de antiq. collect. can. part. II, cap. 4, 6, 7.

(2) Editiones omnes typis excussæ hujusmodi auctas et juniores collectiones exhibent, ac primitiva earum ratio ex iis tantummodò cognosci potest, quæ Ballerini referunt.

(3) De hac collectione in ipsa Dionysii præfatione mentio instituitur, quæ in codice novarensi inventa est. Giov. Andres lettera, al sig. abate Morelli, sopra alcuni codici delle biblioteche capitolarì di Novara e di Vercelli Parm.

(4) Describitur hæc collectio in opere Ballerin. de antiq. collect. can. part. II, cap. 9.

universi cleri atque Ecclesiæ ipsius causæ secundum jus romanum dijudicari solerent.

Recuperata sub Justiniano Italia collectiones et Novellæ constitutiones ab ipso evulgatæ in usum venire, quas deinde etiam clerus, et ipsa pontificis curia adhibere cæpit. Loco tamen primogenii novellarum textus latina Juliani excerpta pene ubique in usu erant. Sub Longobardorum dominatione eodem modo res sese habuere, ipsorumque reges, catholicam fidem amplexi, suis edictis Ecclesiæ leges adjuvabant (1).

XVII. In Africa interim duæ illæ collectiones confectæ sunt, quæ in concilio carthaginensi, anno 525 habito, ex archivio desumptæ et propositæ sunt. Prima nicænos canones ex ipsa illa antiqua versione, quàm Cæcilianus Nicæam attulerat, nec non synodos africanos ante Aurelium habitas; altera eas, quæ sub Aurelio celebratæ sunt, comprehendisse videtur. Tertia alia collectio, 104 numeris distincta, concilio carthaginensi IV falso tribuitur, et potiùs quamdam totius ecclesiasticæ disciplinæ synopsis, ordinandis Episcopis tradendam, videtur exhibere. Incertum omninò est ubinam compilata fuerit (2).

Quarta denique collectio, quæ ex recentiori hispanica, in quàm recepta fuerat, innotescit, et medio sæculo sexto jam exstabat, octo synodos africanas continet, inter quas etiam quarta ut falso nominatur, carthaginensis habetur.

Mox aliæ ordine systematico digestæ collectionis in Africa compilari cæperunt, quarum prima a diacono *Fulgentio Ferrando* (a. 547) sub titulo, *Breviatio canonum* edita, et juxta materiarum ordinem in numeros 232 distributa, ex omnibus ferè græcis et africanis conciliorum canonibus excerpta est (3).

Aliam ejusdem rationis collectionem *Cresconius* Episcopus circa annum 690 adornavit, quæ *concordia canonum* inseribitur. Tota ex Dionysii collectionibus desumpta est; singula tamen loca non juxta temporum, sed juxta materiarum ordinem auctor in CCC titulos distribuit, quorum LII primi juxta apostolicorum canonum seriem sese subsequuntur (4). Præfationi CCC capitula in speciem catalogi præmisit, in quibus titulorum materiam ac canones annotavit. Sequenti tempore capitula hæc sæpius una cum dionysianis collectionibus, in quibus ea, quæ breviter in hoc indice citantur, inveniri poterant, descripta, dein quoque tanquam proprium quoddam opus sub nomine *Breviarii* typis impressa sunt (5).

XVIII. In Hispania sæculo sexto plures exstabant canonum collectiones, in quibus antiqua hispanica collectio, multis additamentis aucta, recepta erat; omnes tamen perierunt. *Martinus* dein *bracarenensis* Episcopus (circa a. 572) ex græcis canonibus, quos ipse in latinam linguam transtulerat, synopsis excerpit, quam in 84 capita duosque libros distribuit, quorum primos Episcopos et clerum, alter laicos respicit (6).

(1) Hoc pro aliquibus præstitit Luitprandi regis edictum.

(2) In codicibus manuscriptis inscribitur: Statuta Ecclesiæ antiqua, et statuta Ecclesiæ orientalis. Edita est ex novis multis subsidiis a Fr. Ballerini in opp. Leon. M. tom. III, p. 653, et in Mansi conc. tom. III, col. 945, VII, col. 893.

(3) Primus illam typis edidit Franc. Pithæus, Parisiis, 1688-9. Invenitur etiam apud Justell. biblioth. jur. can. t. I, p. 448, et Meermann thesaur. tom. I.

(4) Habetur unica hujus collectionis editio apud Justell. biblioth. tom. I, app. p. XXXIII.

(5) Primò una cum breviatione Ferrandi a Fr. Pithæo, dein sæpius edita est. Vid. Justell. bibliothec. tom. I, p. 456.

(6) Edita est hæc collectio in Justell. biblioth. jur. can. t. I, app. p. VII. Lopez de Barrera

Magna alia collectio S. Isidoro hispalensi Episcopo tribuitur (1), quæ ad instar dionysianæ in duas partes divisa est. Continet prima concilia græca ex antiqua hispanica versione, X gallica et XV hispanica, inter quæ etiam posita sunt capitula Martini Bracarenensis, dein sententiæ, quas vulgò concilio Agdensi tribuunt. Secunda pars tota ex dionysiana desumpta est; adjunctæ tamen sunt quædam pontificum decretales, quas Dionysius omisit. Collectio ab anno 633 usque ad an. 636 compilata esse videtur; quam verò partem in ea adornanda habuerit Isidorus, haud facilè affirmari potest. Seriùs primæ parti secundum concilium constantinopolitanum, et plura gallica et hispanica concilia eo loco, ubi alia ejusdem nominis concilia descripta erant, adjuncta sunt. Secundæ unica tantum decretalis addita est (2). Ex hisce auctis collectionibus, sæculo septimo ad finem vergente, synopsis certo ordine digesta, et in X libros distributa, confecta est, qui libri in plures titulos divisi, brevibus sententiis ecclesiasticam disciplinam descriptam exhibent, numerisque ea indicantur loca, quibus in collectione ipsa latius explicata invenitur (3). Verisimile est magnam hanc canonum collectionem juxta hujus compendii ordinem descriptam fuisse, cui ipsum indicis loco erat; inventus enim est codex qui collectionem hoc ordine digestam et in linguam arabicam conversam, exhibet; licet et seriùs ope hujus compendii arabice hæc versio confici potuerit (4).

Cum illis collectionibus Ecclesia codicem quoque theodosianum et Breviarium, a rege Alarico ex juris romani fontibus compilatum, adhibuit. Seriùs regibus ad religionem christianam conversis, circa finem sæculi septimi plura in codicem legum Visigothorum noviter elaboratum recepta sunt, quæ ad Ecclesiam spectabant.

XIX. In regnis Anglosaxonum disciplina ecclesiastica synodis maximè provincialibus ordinata fuit, atque in iis conciliorum œcumenicorum decreta expressè recepta sunt. Reges quoque, ut suam erga Ecclesiam venerationem testatam facerent, in comitiis plures ac magni pro Ecclesia momenti leges tulerunt (5). Seriùs dionysianæ collectiones receptæ sunt. Septimo sæculo Theodorus Archiepiscopus cantuariensis præcipua disciplinæ capita in suis capitularibus compilavit, eaque in 169 numeros distribuit (6). Magnam insuper collectionem Egbertus Archie-

exercitatio historica de antiquo codice canonum ecclesiæ hispanæ. Rom. 1758-4, Mansi conc. t. IX. col. 846-860.

(1) (C. de la Serna Santander) Præfatio historico-critica in veram et genuinam collectionem veterum canonum Ecclesiæ hispanæ a Divo Isidoro hispalensi metropolitano hispaniarum doctore primum, ut creditur, adornatam. Bruxellæ reip. gall. anno VIII (supplément au catalogue des livres de la bibliothèque de M. C. de la Serna Santander. Bruxelles, an. XI (1803. 8).

(2) Ambæ collectiones nostris temporibus edictæ sunt: Collectio canonum Hispanæ ex probatissimis et pervetustis codicibus nunc primum in lucem edita a publica matritensi bibliotheca. Matriti ex typographia regia 1808. fol. (Præfatus est Fr. Ant. Gonzalez publ. matr. biblioth. præf. 1821). Epistolæ decretales ac rescripta rom. PP. Matriti ex typographia hæredum D. Joachimi de Ibarra 1821.

(3) Hoc compendium edidit Card. de Aquirre initio, tom. III, conc. Hispaniæ; postea verò diligentius illustravit Caietanus Cennius atque edidit cum titulo: Codex veterum canonum Ecclesiæ hispanæ. R. 1739. 4.

(4) Casiri biblioth. arabico-hispanica escurialensis tom. I, p. 541, num. 1618. Codex a presbytero quodam Vincentio litteris ephraïm anno æræ hisp. 1037 (Chr. 1049), descriptus est.

(5) D. Wilkins leges anglosaxonicæ ecclesiasticæ et civiles. Lond. 1721. fol.

(6) Habentur apud L. D'Achery in Spicilegio, ed. nov. t. I, p. 486-492. Mansi conc. t. XII, coll. 25-37.

piscopus eboracensis (a. 771) ex obviis fontibus, quos certo ordine distribuit, adornavit, cujus tamen pars solum typis editæ sunt. Seriùs Hucarius diaconus (c. a. 1040) eam in compendium redegit (1), quod falso Egberto Archiepiscopo adscriptum est (2).

In Hibernia quoque sæculo circiter octavo collectio systematica, in XLV libros aut titulos distributa, ex collectionibus Dionysii, nec non ex romanis, gallicis et hibernis conciliis compilata fuit (3).

Pro uno ex præcipuis ecclesiasticæ disciplinæ capitibus, pro pœnitentia scilicet, hoc tempore aliæ quoque adornatæ sunt collectiones, in quibus ex conciliorum et SS. Patrum decretis pro singulis peccatis determinatæ pœnæ accuratè descriptæ erant. Præcipuus pœnitentialis liber a Theodoro cantuariensi Archiepiscopo divulgatus est (4), ex quo omnes dein alii subsequentes hausere; nondum verò in primitivo suo statu typis editus est. Alia canonum pœnitentia collectio ven. Bedam auctorem habet; ad nos tamen non pervenit (5). In magno quoque Egberti opere de pœnitentiis in separato titulo sermo erat, cui titulus postea sæpiùs transcriptus Bedæ tribuebatur (6). Duæ aliæ collectiones, quæ Egberto tribuuntur, illius quidem tempore, sed nequaquam ab ipso confectæ sunt (7).

XX. In regno Francorum principio tum vetus gallica, tum hispanica collectio adhibita est (§ IV); mox tamen dionysianæ etiam codices innotuerunt, atque ex hisce monumentis, adjectis conciliorum provincialium canonibus, novæ collectiones confectæ sunt.

Antiquior medio sexto sæculo facta videtur, cujus tamen compendium tantum in codice quodam manuscripto exstat. Constabat canonibus nicænis ex recensione Rufini, unaque canonibus sardicensibus eodem nomine comprehensis; dein concilia gallica et decretales pontificum, quæ in Ecclesia Francorum *auctoritates* nominabantur accepit (8).

Alia collectio, eodem tempore confecta, constat græcis, africanis, gallicis canonibus et pontificum litteris confuso ordine distributis (9). Multæ insuper aliæ

(1) Excerptiones e dictis et canonibus SS. Patrum concinnatæ, et ad ecclesiasticæ politicæ institutionem conducentes. Apud Wilkins conc. Britan. t. I, p. 101, 111. Mansi conc. t. XII, coll. 411-431.

(2) Errorem detegerunt Jac. Waræus annot. ad synod. S. Patricii in edit. opp. S. Patricii, Lond. 1656. Ballerini de antiq. collect. canon. part. IV, cap. VI.

(3) Partes tantum hujus collectionis typis editæ sunt apud L. d'Achery in Spicil. ed. nov. tom. IV, pag. 492-507. Edm. Martenne in thesaur. nov. anecdot. t. IV, p. 2-22, Mansi conc. t. XI, col. 118-144.

(4) Opus, quod Jacobus Petit, Parisiis, 1677, 2 vol. 4 edidit, non ipsam Theodori collectionem refert, sed, ex ipsius fragmentis, in aliis collectionibus sparsis, compilatum est.

(5) Edita a Mansio (conc. tom. XII, col. 498-520) collectio Bedæ nomine inscripta, verò similiter in Gallia ortum habuit.

(6) Inscriptur: De remediis peccatorum, et invenitur apud Spelmann conc. orb. Brit. t. I, p. 281-89, et Mansi conc. t. XII, col. 489-98, ab hac collectione diversa est ea quam sub eodem titulo dedit Martenne in Thesaur. nov. Anecdote, t. IV, p. 22-30.

(7) Alterius fragmenta tantum habentur apud Spelmann conc. Brit. t. I, p. 276-278 et Mansi conc. t. XII, col. 459-461. Alia minor edita est a Wilkins conc. Brit. t. I, p. 113-244. Mansi conc. XII, col. 431-459.

(8) Describunt hanc collectionem juxta codicem manuscriptum Ballerini in op. de antiq. collect. can. part. II, c. X.

(9) Describitur a Constant. in diss. de antiq. can. collect. part. II, § II, et Ballerini in op. de antiq. collect. can. part. II, c. V.

habebantur collectiones, quarum codices nondum accuratè descripti sunt (1). Sub Carolo Magno præcipuè *codex Hadrianus* adhiberi cœpit (2); tamen et alii codices, ex aucta hispanica collectione, initio sine ullis additamentis (3), dein aliquibus additamentis et lectionum mutationibus descripti, in Ecclesia Francorum in usu fuerunt (4); plura etiam ex illa collectione in codicem Hadrianum recepta sunt (5). Insuper in particularibus diœcesibus minores legum collectiones adornabantur, quæ ex obviis juris fontibus erant excerptæ, et Episcoporum decretis augebantur. Hujusmodi sunt capitula, quæ supersunt, Bonifacii Archiepiscopi moguntini (a. 745), Theodulphi aurelianensis (a. 797), Haithonis basilensis (a. 820), Herardi turonensis (a. 858), Waltheri aurelianensis (a. 871), et Hincmari rhemensis Archiepiscopi (a. 852-874) (6).

XXI. Præter majores collectiones, quæ juxta temporum seriem compilatæ sunt, alia quoque in Ecclesia Francorum de Juris fontibus opera concinana fuerunt. Hujusmodi est antiquissima collectio, in qua tum canones, tum decretales in breviores sententias contracti sunt, quæ non nisi ipsorum sensum referunt. Ex eo verò præcipuè in pretio habenda est, quod ex codicibus gallicis in hispanicis hausta sit, qui hispanica collectione superius notata (§ XIII), antiquiores erant (7).

De brevioribus certo ordine in titulos digestis compendiis duo tantum notoria sunt. Primum, XCII titulos continens, ex diversis antiquioribus collectionibus, præsertim ex dionysiana, uti ante Hadrianum exstabat, proindè ante medium sæculum octavum conflatum est (8). Alterum, eodem modo confectum, in eo præsertim cum primo convenit, quod una cum legibus, Patrum quoque testimonia comprehendat; ex quo factum est, ut et ipsa tanquam juris fontes considerari cœpta sint.

Sæculo octavo ad finem vergente amplior, quædam systematica collectio elaborata est (9); quæ ex nulla alia, nisi ex hispanica et hadriana, aut potius ex codice quodam Hadriano, locis ex hispanica collectione desumptis, aucto, concinnata videtur. In tres libros dividitur, quorum primus de pœnitentibus, alter de accusatoribus, tertius deniquè de consecratione et de statu clericorum et Episcoporum

(1) Duos hujusmodi codices describunt Ballerini l. c. p. II, c. 10. Alius octavi sæculi codex typis editus est ex manuscripto diessensi in Eus. Amort elementis Jur. can. veter et modern. [Ulm. 1757, III, vol. 4] t. II, p. 273-594.

(2) Præcipuè hoc factum est in Ecclesia coloniensi, sub Archiepiscopo Hildebaldo. Hartzheim conc. germ. t. I, p. 131-349, et in Bavaria, uti patet ex codice chiemsensi octavi sæculi, qui primam Hadriani codicis partem complectitur et editus est ab Eus. Amort. l. c. t. II, p. 75-235.

(3) Ejusmodi est codex qui jussu Rachionis Episcopi argentoractensis conscriptus fuit anno 787, V. Grandidier, Histoire de l'Église et des Evêques princes de Strasbourg [Strasb. II, vol. 4] t. I, p. 314, t. II, cod. dipl. p. CXLI; Koch in Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque nationale, t. VII, p. II, p. 173-215.

(4) Tales interpolatos codices describunt Ballerini, l. c. part. III, c. IV.

(5) Vide Ballerini, l. c. part. III, c. V.

(6) Hæc capitula habentur apud L. d'Achery in Spicileg. ed. nov. t. I, p. 507; Mansi conc. t. XII, col. 393 et col. 993-1006; t. XIV, col. 393; t. XV, col. 503-509, col. 475-504. Baluz. capit. reg. franc. t. I, col. 1283-95.

(7) Describitur hæc collectio in opere Ballerini, l. c. p. IV, c. V, [§ XVIII].

(8) Jac. Petit ejus fragmenta edidit in appendice ad Theodori pœnitentialem librum. Vide Ballerini, l. c. p. IV, c. VII.

(9) Hæc et tres subsequentes collectiones describuntur a Ballerini, l. c. part. IV, c. VIII.

agit (1). Ex hac collectione desumpta est alia in V libros divisa, quæ Halitgarum cameracensem Episcopum auctorem habet. Sextus liber, qui ipsi appendicis loco est, fragmentis cujusdam libri pœnitentialis constat, qui, ut fertur, ex archivio romanæ Ecclesiæ depromptus fuit, addita sunt quædam PP. testimonia et falsæ pontificum decretales (2). Eam collectionem Rabanus Maurus secutus est ad conficiendas alias duas, quarum primam sub nomine: *Liber pœnitentium* (3). Otgario Archiepiscopo moguntino nuncupavit; altera diverso ordine eadem continet, et speciem epistolæ ad Heribaldum Episcopum antissiodorensis (a. 753) scripturæ refert (4).

Omnes hæ collectiones separatim de pœnitentiis agunt; propria tamen de nos disciplinæ ecclesiasticæ capite ordinata sunt compendia, quorum tria supersunt. Primum initio octavi sæculi confectum, falso Bedæ (5) tribuitur; alterum Gregorio III pontifici (6); tertium deniquè continetur in quadam Theodulphi (a. 797) aurelianensis Episcopi ad clerum exhortatione (7).

XXII. In iis, quæ externas relationes respiciebant, tum Ecclesia, tum clerus secundum Jus romanum dijudicabantur, quod præsertim ex codice Theodosii II, nec non ex breviario Visigothorum hauriebatur. Serius ex Italia Justiniani collectiones Novellæ, et Juliani epitome allata. Plura etiam, quæ ad civilem Ecclesiæ statum pertinebant, in particularium populorum juribus, præsertim in legibus Ripuarianum, Bajuvariorum et Allemannorum decreta sunt (8). Longè verò majoris momenti sunt *capitularia*, quæ reges Francorum una cum regni primoribus, tum ecclesiasticis, tum laicis in comitiis publicis evulgarunt. Quæ in iis de Ecclesia statuuntur, potissimum ex canonibus et patribus desumpta sunt.

Initio capitularia singula separatim divalgebantur; postea ab Ansegiso (a. 827) in unum collecta, et in quatuor libros divisa sunt, quorum primus Caroli, alter Ludovici ejusdem filii ecclesiasticas constitutiones comprehendebat. Benedictus *levita* moguntinus tres alios libros adjunxit (a. 845), in quos capitularia ante Carolum M. edita, et alia ab Ansegiso ommissa rejecit, additis multis ex S. Scriptura, ex patribus, ex conciliis, ex veris falsisque decretalibus, ex breviario Visigothorum, ex codice theodosiano, epitome Juliani et Germanorum legibus excerptis. His postea ab ignoto auctore VI appendices adjecti sunt. In omnibus tamen hisce collectionibus capitularia non integra, sed in sententias singulares divisa exhibentur; quæ sententiæ plerumque sine anni et regum nominis annotatione arbitrario

(1) Typis edita est hæc collectio apud d'Achery in spicilegio ed. nov. t. I, p. 619-622.

(2) Exhibet hanc collectionem Henr. Casinius in op. lectiones antiquæ ed. Basnag., t. II, p. II, p. 81 et A. Gallandius in Biblioth. veterum patrum, t. XIII, p. 521. Liber pœnitentialis romanus habetur etiam, et quidem sine falsis istis additamentis, in Canisii lect. ant., t. II, p. II, p. 132.

(3) Apud Ant. Augustinum in coll. canon. pœnitent. Tarac. 1582, et in Rabani Mauri oper. ed. Ge. Colvenerii (col. 1627, VI, vol. fol.) t. VI.

(4) Habetur in Arzheim ii. conc. germ. t. II, p. 191, et in Canisio l. c. t. II, p. II, p. 293.

(5) Apud Martenium in thesaur. no. anecdot. t. IV, 31-57. Mansi conc. tom. XII, col. 498, 520.

(6) Mansi conc. t. XII, col. 28-296.

(7) Mansi conc. t. XIII, col. 1009-1022.

(8) Horum populorum leges collegere Petr. Georgisch. in corp. Juris germanici antiqui, Halæ 1733, 4. P. Canciani in op. barbarorum leges antiquæ. Venet. 1731-92. V. vol. fol. et Ferd. Walter in corp. Jur. germ. ant. Berol. 1804, III, vol. 8.

plane ordine compilatæ sunt (1). Ob amplam, quàm continebant, materiam ubique in usu erant; et Isaacus lingonensis Episcopus (a. 859) tres Benedicti libros pro sua diœcesi in conpedium redegit (2).

Capitularia in ea quoque Italiæ parte, quæ sub Francorum ditione erat, legum vigorem habuere (3), imperatorque Lotharius (a. 847), pro hoc regno ex Caroli et Ludovici capitularibus compendium adornari jussit (4).

XXIII. Præter genuinas ecclesiasticas leges multæ quoque pontificum litteræ et decreta, multa conciliorum acta et monumenta alia circumferebantur, quæ falsa et adulterata comprobantur. Quædam in disputationum æstu ad propriam sententiam defendendam, aut incusandos adversarios conficta; alia ex viginti tunc temporis disciplina desumpta, atque superioribus temporibus aut personis adscripta; alia denique ex eo potissimum orta esse videntur, quod ad legum formam redigerentur notitiæ, quas historiæ scriptores de antiquis et deperditis legibus aut decretalibus conservarunt (5). Sensim sine sensu plurima tanquam vera in canonum collectiones, quæ omnibus præ manibus erant, recepta sunt (6). Sed circa

(1) Steph. Baluzii capitularia regum francorum. Paris, 1677, II, vol. fol. nov. ed. cura Petr. de Chiniac, Paris, 1780, II, vol. fol. Baluzius tum Francorum collectiones, tum particularia capitularia, quæ serius inventa sunt comprehendit. Eadem habentur in Walteri corp. jur. germ.

(2) Baluz. capitul. t. I. col. 1233-1233.

(3) C. 9, D. X. [Lect. IV, a. 847].

(4) Primo editum est a Vit. Amerbachio. Ingolstadtii, a. 1545, 8; dein simul cum Hincmari rhemensis epistolis a Joan. Busæo, Mogunt. 1601, 4 denique in M. Goldastii collect. consuetudinum et legum imperialium Traj. ad M. 1613, fol.

(5) Quæ de origine falsorum monumentorum dicta sunt perspicua fiunt ex quadam sæculi septimi aut octavi collectione. Habet hæc collectio post apostolorum canones, decretales rom. pontif. incipiendo a Lino. Eas verò, quæ pontificibus Siricio antiquioribus tribuuntur, quæque deperita erant, brevi tantum, et historici modo annotatas exhibet, et illis scilicet notitiis, quæ in libro pontificali continentur. Constitutiones ulteriorum pontificum ex Dionysio habet. Uno, ut ita dicam, gradu opus erat, ut excerpta in legum formam redigerentur. Codicem hunc exhibet: Zaccharia dissertazioni varie italiane alla storia ecclesiastica appartenenti. Rom. 1730, 8, t. II, diss. IV, latine apud Galland. in Sylloge, t. II, p. 678.

(6) Falsa monumenta, quæ jam antè pseudo-Isidorianam collectionem in canonum collectiones irrepperant, hæc sunt: 1. ° Epistolæ II Clementis ad Jacobum fratrem Domini. . . . Antiquissimæ sunt hæc epistolæ, jam a Rufino ex græca in latinam linguam conversæ. 2. ° Canones apostolorum. 3. ° Capitulum editum a Silvestro Papa. Ballerini de ant. coll. can., p. II, cap. IV. Hoc capitulum nondum typis editum est, eadem verò continet quæ inveniuntur insequenti. 4. ° Canon Sylvestri [Mansi t. II, c. 618]. Constitutum Sylvestri [Mansi, t. II, col. 1031, 6]. Epistola [synodi nicænæ] directa ad synodum Romæ. 5. ° Epistola Sylvestri Episcopi ad synodum [nicænæ]. 6. ° Epist. Sylvestri Episcopi ad concilium nicænæ. Edita a Balleriniis de ant. coll. can. part. III cap. III. Hæc epistola cum quinque monumentis anterioribus tempore Symmachi conficta est. 7. ° Gesta Marcellini, Liberii, Xysti, Polichroni eodem tempore conficta. 8. ° Epistolæ in re Acacii ante concilium quintum œcumenicum a græcis excogitata. 9. ° Constitutum domini Constantini imperatoris in gratiam romanæ Ecclesiæ. Vide de noto hoc donationis instrumento Bienerum de collect. can. Ecclesiæ græcæ p. 72. 10. ° Interlocutio Osii. 11. ° Epistola II, Hieronymi ad Damasum, et Damasi ad Hieronymum. 12. ° Epistolæ II, Damasi ad Hieronymum, et Hieronymi ad Damasum. 13. ° Epistola Leonis ad Episcopos Germaniæ. 14. ° Magnum additamentum falsum in littera Gregorii I, ad Secundinum. Fundatur hic index in illis quæ accuratissimè de hac re scripsere fratres Ballerini. Spittlerus sequentia quoque monumenta pseudo-Isidoro antiquiora censet, c. 15. ° Epistolam Stephani Archiepiscopi et trium conciliorum Africa ad Damasum. 16. ° Rescripta Damasi ad eosdem. 17. ° Epistolam Damasi ad Episcopos Numidiæ. 18. ° Capit. 6 et 7. Epistolæ Vigilii ad profuturum. Quæ tamen Spittlerus de horum monumentorum antiquitate adduxit, alio quoque modo explicari pos-

medium sæculum nonum nova, eaque in magno numero, falsa monumenta prodierunt (1).

Primæ certæ notitiæ, quæ de falsis hisce monumentis habentur, desumptæ sunt ex codice manuscripto cujusdam collectionis, quæ 858-867, conflata est (2). Tribus partibus hæc collectio constat. Prima post præfationem partim ex hispanica (§ XVIII) collectione excerptam, et alia, quæ exordii speciem præ se ferunt, canones apostolorum continet, quos LX decretales litteræ subsequuntur, quæ omnes confictæ sunt, et primis XXX Pontificibus, qui a Clemente usque ad Melchiam sedem romanam tenuerunt, tribuuntur. In secunda parte proœmium sequuntur falsum constantinianæ donationis instrumentum; deindè capita duo, quæ præfationis loco sunt, quorum unum ex hispanicæ, alterum ex antiquæ gallicæ (§ IV) collectionis præfatione desumptum est; denique canones conciliorum græci, africani, galli et hispani, qui omnes ex aucta hispanica collectione, quemadmodum circa annum 683 exstabat, exscripti sunt. Tertia pars post præfationem, quæ ex hispanica collectione descripta est, habet decreta Pontificum a Silvestro usque ad Gregorium II, inter quæ 35 falsas decretales et plura concilia conficta. Monumenta certa et genuina ex hispanica, antiqua gallica et dionysiana collectione excerpta, aliqua tamen falsis additamentis interpolata sunt. Post decretum Gregorii II, quo codex finiebatur, alia ab eadem manu adjuncta sunt, quæ Symmachum (an. 524) et præcipuè duo sub ipso celebrata concilia, pariter conficta respiciunt. Habet et aliam appendicem ab eodem scriptore descriptam.

Tum ex præfationibus, tum ex secunda parte apparet, hanc collectionem præcipuè ex illa hispanica conflata esse, quæ S. Isidoro hispalensi tribui solet (3). Nullum verò dubium, falsa, quæ continet, monumenta in orientali Francorum regno excogitata (4), et hispanicæ collectioni, quæ ibi per Riculphum moguntinum

sunt [Ballerinii de antiq. coll. can. part. III, cas. IV], 19. ° In sexto libro collectionis Halitgari septem continentur tituli ex falsis decretalibus septem pontificum, II usque ad IV sæculum. Confictæ istæ decretales, hucusque nondum designatæ, ab illis quæ in pseudo-Isidoriana collectione habentur, omninò differunt; a Gratiano tamen pro parte receptæ sunt.

(1) David Blondell pseudo-Isidorus et Turrianus vapulans; Genev. 1628, I. B. van Espen diss. de collect. Isidori Mercatoris (in opp. edit. Lovan. t. III). Ballerini de antiq. coll. can. part. III, c. IV; Car. Blasci de coll. can. Isidori Mercatoris, Neap. 1760, 4. Joan. A. Theiner de pseudo-Isidoriana collectione canonum, Vratisl. 1827, 8.

(2) Codicem istum accuratissimè describunt fr. Ballerini. Parisios recenter asportatus a Camusio cum 4, aliis codicibus ab invicem valdè discrepantibus comparatus, ac diligentius adhuc descriptus est. Notices et extraits des manusc. de la biblioth. nation. t. VI, p. 265-301.

(3) In antiquissimo illo codice præfationi hic titulus præfixus est: "Incipit præfatio S. Isidori Episcopi libri hujus. Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parenti in Domino fidei salutem." Alii sunt codices, qui mercatoris, et alii, qui peccatoris nomen inscriptum habent: quod postremum nomen nonnullos eam in opinionem adduxit, ut crederent, hujus collectionis auctorem fuisse aliquem Episcopum, quoniam ea formula Episcopi utebantur, ut demissum de se animi sensum testarentur. Sed vide Blascum, cap. 6.

(4) Certum omninò est et ab omnibus fere agnitum, falsas decretales nullo modo in Hispania ortum habuisse. Multa e contra eaque gravia rationum monumenta demonstrant eas in Gallia fuisse confictas. Et sanè 1. ° Omnes codices falsæ hujus collectionis in Gallia conscripti sunt, nec ab aliis nisi a gallicis scriptoribus decretales istæ citantur. 2. ° Habet hæc collectio epistolas a Bonifacio moguntino, aut ab aliis ad ipsum scriptas, quæ nonnisi in Francorum regno noscebantur. 3. ° Hispanica denique collectio, quæ ad eam conficiendam adhibita fuit, non ex veris ac genuinis hispanis, sed ex gallicis, variis lectionibus interpolatis, codicibus desumpta est.

His verò rationibus minimè permotus est Theinerus, quin contenderet, falsas decretales Ro-

Archiepiscopum (797-814) innotuit, addita fuisse (1). Verosimilimum est ea inter annum 829 et 845 conficta fuisse (2); utrum verò principio singula separatim vagarentur, an statim hispanico codici adjecta an; ab uno aut a pluribus consarcinata fuerint, difficilè affirmari potest. Primo quædam apparent in Benedicti Levitæ capitularium collectione, omissis tamen auctorum nominibus, a quibus prodisse finguntur. Nominibus hisce anno tantum 857 citantur (3).

Cæterum collectio pro vera Isidori collectione circumferebatur (4), nec ullum

mæ confictas fuisse. Nullum tamen hac de re vestigium in codicibus et archivis Italiæ inveniri potuit, nec alias Romani Pontifices decretales citare consueverunt quam illas quæ in dionysiana collectione habebantur. Vide Leonis IV epist. ad Episcop. Britann. a. 850, (in c. 1, Dist. XX); in qua decretales memorat eorum Pontificum, quibus tunc in ecclesiasticis judiciis romana Ecclesia utebatur; sed nullam planè mentionem facit decretalium Siricio antiquiorum, quas collectio Isidori complectitur, licet earum plures ad hæc judicia pertineant. Neque Isidori merces laudavit, aut approbavit Nicolaus I, Conf. epist. ad Hinemarum rhemensem a. 863. (Mansi, t. XV, col. 374; Ballerin. l. c. c. 6, p. 215, et Blascum, l. c. c. 4, p. 31). Probatio quam Theinerus ex eo desumit, quod constantinæ donationis instrumentum simul cum falsis decretalibus invenitur, nullius momenti est, cum instrumentum istud multo antea alio loco confectum sit.

(1) Hinemarum rhemensis (a. 882) opusc. contra Hinem. Laudun. c. 24, ait: "Si verò ideò talia, quæ tibi visa sunt, de præfatis sententiis (Angilrami) ac sæpè memoratis epistolis detruncando et præposterando, atque disordinando collegisti, quia forte putasti, neminem alium eadem sententias, vel ipsas epistolas præter te habere, et idcirco talia libere te existimasti posse colligere res mira est, cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus moguntinus Episcopus in hujusmodi, sicut et in capitulis regiis studiosus, obtinuit, et istas regiones ex illa reperi fecit." Cum omninò certum sit, falsas decretales nullo modo in Hispania factas fuisse, ea, quæ hic de Riculfo dicuntur, de vera hispanica collectione intelligenda sunt. Riculfus magna diligentia in hujusmodi scriptis colligendis versatus esse videtur. Sic in comitiis Wormatii celebratis a. 803, verum et hucusque ignotum Gregorii II, decretum protulit, quod litem diremit; Vid. capit. Caroli M. a. 803, de purgatione sacerdotum. Benedictus Levita in præfatione suæ collectionis hæc habet: "Hæc verò capitula, quæ in subsequentibus tribus libellis coadunare studimus, in diversis locis et in diversis schedulis, sicut in diversis synodis et placitis generalibus edita erant, sparsim invenimus, et maximè in S. moguntia censis metropolis Ecclesiæ scriptoria Riculfo ejusdem S. sedis metropolitano recondita reperimus."

(2) Latè hoc probarunt Blondellus et Ballerini. Blascus verò et Theinerus decretales istas sæculo octavo confictas esse contendunt. Facilis tamen ipsorum rationibus responsio adest. 1.º Argumentum, quod ex citato Hinemari loco deducunt, ex eo diluitur, quod ibi non de falsis decretis, sed de vera ac genuina Isidori collectione mentio fiat; proindè non sequitur, falsas jam tempore Riculfi in illa collectione fuisse. 2.º Nullo modo opus est ut ea, quæ Benedictus Levita de Reculfo, et de moguntinæ Ecclesiæ archivio refert, de falsis decretalibus intelligantur; eas enim, quas ipse adduxit, aliundè abripere potuit. 3.º Probatio, quæ ex fictis Angilrami capitulis deducitur, nullius pariter momenti est; hæc ipsa enim capitula non tantummodo sæculo compulata sunt. 4.º Capit. Aquisgran. a. 803, c. 4, non citat falsam quamdam decretalem, sed genuinam epist. Innocentii I, ad Vietric. c. 10, in collectione Dionysii; nec refert, quod in capitulari omittantur hæc verba epistolæ: "Post Episcopale iudicium" cum in epistola de causis judicialibus, in capitulari verò de casu sermo instituatur, qua in re minimè interest, hujusmodi clausulam apponere. 5.º Capit. II, a. 806, c. 23, ex falso canone Silvestri desumptum est, qui jam sexto sæculo exstabat. Alia monumenta, quæ adducunt, aut dubia, aut nullius plane momenti sunt. Certum igitur, ante collectionem Benedicti, nullum falsarum decretalium vestigium adesse; quod simul probat, eas non successu temporum esse confictas: seus enim jam in anterioribus codicibus invenirentur.

(3) Epistola synodalis Caroli post synodum carisiacam a. 857, ad Episcopos et comites Galliæ (Mansi, t. XV, col. 127.—Baluz. t. II, col. 92). Appendix IV, ad III libros Benedicti Levitæ verosimiliter eodem tempore conficta est.

(4) Hinemar. rhem. epist. VII, c. 22, ait: "Scriptum enim est in quodam sermone sine ex-

de ipsius genuinitate dubium erat (1); ex quo factum est, ut falsæ illæ decretales non solum ab Episcopis et conciliis citarentur, sed etiam in collectiones posteriores, quæ a decimo usque ad duodecimum sæculum adornatæ sunt, reciperentur. Codices collectionis in Italiam quoque et in Angliam, non tamen in Hispaniam invecti sunt (2). Multa verò, præsertim in tertia parte, in hisce exemplaribus mutata; appendices Symmachi in collectionem ipsam receptæ; ordo inversus, vera addita falsa de novo conficta (3). Recentioris denique scientiæ ope falsitas invictissimè demonstrata est (4).

ceptoris nomine de gestis Silvestri excepto, quem Isidorus hispalensis Episcopus collegit cum epistolis romanæ sedis pontificum a S. Clemente usque ad B. Gregorium, eundem S. Silvestrum decrevisse, ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, etc., etc." Sermo hic est de falso, sed antiquiore Silvestri canone: hunc Hinemarum falsum esse demonstrat, alias verò decretales ipse sæpiùs in suis litteris citat.

(1) Francorum Episcopi non genuinitatem, sed auctoritatem quarundam decretalium impugnaverunt, ea quidem ex causa, quod in codice recepto, seu in collectione dionysiana non habeantur. Quam rationem Nicolaus I, Jure reprobare potuit; non enim ideo despiciendas esse, asseruit, decretales, quod in codice canonum descriptæ non essent, quoniam earum auctoritas non ex eodem codice, sed ex earumdem auctoribus, qui Pontifices fuisse credebantur, erat repetenda: eo magis, cum et Episcopi ipsi aliis temporibus illarum decretalium auctoritate uterentur. V. Nicolaum I, in ep. ad universos Episcopos Galliæ a. 865 (Mansi, t. IV, col. 693 et in c. 1, D. XIX). Quodsi Innocentius ad defendendas falsas decretales ad romanæ Ecclesiæ scribium provocasse videatur, aut ab archivii præside in errorem ductus, aut de actis Marcellini, Silvestri et Sixti III, intelligendus est, quæ jam sexto sæculo conficta erant, et in codicibus Italiæ inveniebantur (Mansi ad Nat. Alexand. sæc. XI, diss. VI). Revera Nicolaus hæc acta in aliis litteris citat. V. Nicol. I, epist. VIII, ad Michael imp. (Mansi t. XV, col. 186).

(2) C. de la Serna Santander in præfatione in veram collectionem Ecclesiæ hispanæ (§ 140-145), probat, in Hispania veram Isidori collectionem continuo in usu, falsam, e contra artis typographicæ ortum penitus ignoratam fuisse. P. Burriellus quoque monet (in littera mss. data ad v. Cl. Franciscum Ravagum die 22 dec. a. 1752, de qua vide Devoti institutiones, l. III, tit. XV, § 31, not. I, edit. Rom. sep. anni 1829, p. 198), sese omnia Hispaniarum archivia diligentissimè lustrasse, neque ullum unquam manuscriptum codicem ejus collectionis reperire potuisse, quod argumento est planè maximo, Hispanos qui Isidorum conferentes cum ea collectione, quæ in omnium manibus versabatur, nullo negotio fraudem detegere potuissent, Isidori fragmenta penitus ignorasse.

(3) Hos codices describunt Ballerini in Diss. de ant. can. coll. part. III, cap. VI, VII, VIII. Juxta hujusmodi codicem auctum et mutatum collectio typis edita est in vol. I, collectionis canon. Merlinii, quæ unica est editio, quam de Pseudo-Isidoro habemus.

(4) Jam sæculo decimo quarto et decimo quinto, uti Blascus adductis testimoniis demonstrat, istarum decretalium falsitas agnita et asserta fuit; ampliori tamen demonstratione, antequam integra collectio typis edita fuisset, probari non poterat. Centuriatores magdeburgenses ex protestantibus primi ipsam demonstrandam aggressi sunt; ex catholicis verò eodem ferme tempore Le Constans, in editione corporis Juris canonici, et Ant. Augustinus, in notis ad capitula Angilrami, multa ad hanc rem addiderunt. Franciscus quidem Turrianus (Torres) Hispanus ex societate Jesu, a. 1572, ipsarum veracitatem defendere studuit: sed vel ipsos cardinales Baronium et Bellarminum in hoc sibi contrarios habuit. Blondellus e protestantium numero, Turrianum refutavit, ostenditque accuratius fontes, undè falsæ decretales derivatæ sunt. Istæ Blondelli animadversiones passim in conciliorum collectionibus typis editæ sunt. Denique Constantius et Ballerini fratres, in arte critices faciliè principes, plurimarum decretalium falsitatem comprobaverunt, quas centuriatores et Blondellus pro veris habuerunt. Rationes verò præcipuæ, quibus falsas esse Isidori decretales comprobantur, ad has redigi possunt: 1.º Dionysius exiguus ne unam quidem habet ex tot decretalibus, quas Isidorus litteris consignavit. 2.º Nullam usquam earum mentionem faciunt scriptores ecclesiastici, qui per octo priora sæcula floruerunt, et concilia, quæ per eam ætatem habita sunt, quanquam, pro re nata, easdem pluries indicare debuissent. 3.º Multa in iis occurrunt recentiora ætate pontificum, quibus illa